
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Sprüche Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Wilgner Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D.O.M.A.

Gymnasii Logici

DIATRIBE X.

DE

SYLLOGISMI DEFINITIONE

& principiis

Disputationis loco

ad sententiarum collationem

proposita

in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philos. Mag. & Professore Ordinario

Respondentis partes obtinente

PAULO GILBERTO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 24. Februarij. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO clↃ. IↃC. XXXIV.

Magnificis, Strenuis, atq; Nobilissimis
VIRIS.

Dn. MICHAELI WJEDER/ Civitatis Primariæ Judici vigilantissimo, Hospiti omni obsequio dignissimo.

Dn. MARTINO RUBACH/ Serenis. Regi Poloniæ à Secretis fidelissimo.

Reverendo, nec non Vigilantissimo

Dn. JOHANNI MOCHINGERO Ecclesiastæ ædis ad D. Catharinæ integerrimo.

Amplissimo atq; conspicuo

Dn. GABRIELI BORCKMAN/ in Grebien &c.

Dnnnn. Mæcenatibus Patronis atq; Fautoribus, hanc Diatriben sacram esse avet

PAULUS GILBERTUS
Respondens.

IN delubro Eleæ Minervæ triplex Veteribus erat structus columnarum ordo, primus, qui ingredientibus se offerebat, Dorici operis: Secundus Corinthiaci: Tertius juxta templum, Jonico artificio erat elaboratus. Id autem fiebat, cum multiplex esset facultas Deorum, quibus templa exstruebantur. Vt notat Comes l. 1. myth. c. 10. Triplex notio Logico ad struendum Vniversum ædificium Logicum elaboratur: quòd ejus ad disserendum varia & multiplex potestas sit: simplex, quæ objectivæ rei appræhensioni: Complexa, quæ compositioni: & illativa, quæ argumentationi inserviat. Et totidem Logicæ artificialis partibus respondent hæc Logica Opera. Exegimus prima & secunda: perlustranda restant Tertia, quæ syllogismi dicuntur, Et parti Logices tertiæ pro objecto substerni solent.

2. Syllogismus tractari potest vel præcognitivè vel cognitivè. Præcognitivè tripliciter. An detur? An adæquatum Librorum Analyticorum & partis tertiæ objectum? An unus simplex mentis actus?

3. Quà primum: Dari syllogismos patet argumento 1. artificiali. Datur discursus naturalis, ut docet experientia omnium benè sensatorum, Cui reclamare insanum est. E. & instrumentum, quod illum dirigere debet. Nam ille interdum errare potest à vero. At tale instrumentum est syllog. artificialis à Logicâ elaboratus. 2. Inartificiali: Testimonio omnium Logicorum, qui syllogismum proponunt.

4. Quà secundum, duo quæruntur. 1. An adæquatum librorum Analyticorum & partis tertiæ Log. objectum? Variant sententiæ. Clitoueus & Marsilius argumen-

argumentationem, Averroës & Alexander *demonstrationem libror: Anal: objectum faciunt. Distinctè hic dicendum.* 1. Analyticorum priorum *objectum tractationis est syll. simplex quà formam consideratus: Nam ille in illis libris pertractatur: Objectum nobilitatis demonstratio esse potest. Et sic Arist. hic de demonstratione agi dicit.* 1. prior. c. 1. & 4. *Vt benè* Conimbr. præf. l. 1. Prior. *vel synechdochicè Aristot. per Analytica intelligit An. posteriora. tanq. nobiliora, Vt placet* Cl. I. M. C. 3. d. 2. q: 1. 2. Analyt. posteriorum objectum *tractationis est demonstratio, ut benè* Tolet præf. l. 1. post. *nam hujus principia, partes & passiones ibi quæruntur.* Conf. Sam. d. Lubl. præf: in l. 1. post. 3. Omnium librorum Logicorum *de syllogismo tractantium, ut Analyticorum, Topicorum, Elenchorum, & sic partis Tertiæ Logicæ universæ, adæquatum & totale objectum est syllogismus in universum sumptus, & formalis & materialis, & necessari⁹ & probabilis: Et verus & sophisticus: Et simplex & compositus. De* simplici *res patet: De* Composito *in Analyticis nihil habet Aristoteles: In Topicis explicans locos antecedentium, consequentium, comparationum,* l. 2. Top. c. 3. *obiter quædam inspergit, ut notat* Conimbr. præf. l. 1. prior. & Cl. I. M. C. 9. d. 1. q. 1. *Interpretes,* Theoprastus, Eudemus, Boëtius, Philoponus *plura addidère. Et concludit compositus virtute simplicis, quem in se habet, ideò ut ignobilis omissus.* Conf. Cl. I. M. c. l. & C. 8. d. 10. q. 1. *Hodie inter species Syllogismorum recensendus est, ut pateat omnis Variatio argumentationum Logica. Vulgò objectum partis Tertiæ Logicæ Tertia mentis operatio dicitur.* Keck. tr. 3. præcog. Log. c. 2. q. 11. *Rectius istius Tertiæ operationis noëmata & opera, vel gradus tertij secũdarum notionum ex tertiâ operatione producti objectum tractationis esse dicuntur. Vt ex* Zabar. l. 1. d. n. L. c. 3. *monet* Cl. I. M. c. l. 5. 2.

5. 2. *Quæritur hic:* si objectum partis tertiæ, an primo loco tractandus Syllogismus in forma? An Topico præponendus? *Recentiores quidam apud* Conimbr. c. 1. *negant, quod inventio sit prior judicio, & prius materia sit comportanda, quàm forma aptetur. At materiam subministrari in Topicis. Prius valet de materiâ generali & communi, qualis in syllogismo sunt* Termini & propositiones, *quæ præcedentibus jam sunt elaborata: Non speciali, quæ cuidam saltem rei inserviat, qualis est in Topicis, ubi Syllogismus applicatur materiæ probabili. Hæc accurato doctrinæ ordine postponi debet. Et sic communissima in artibus sunt præponenda specialibus: At communius quid, Dispositio formaliter sumpta, quam certæ materiæ applicata. Rectè ergò Syllogismus formaliter sumptus præmittitur Syllogismo Topico.* Conf. Conimbr. c. 1.

6. Tertium præcognitum *est*, An tertia Operatio sit unus simplex actus? Scotus *realiter unũ actum esse voluit, ratione saltem diversum.* 2. dist. 7 q. 1. & d. 9. q. 3. *Falsum hoc. Discursus habet actum antecedentem & consequentem. Elicit enim ex positis quibusdam aliud quiddam, per definitionem syllogismi.* V. t. 10. E. *non est simplex & unus. Nam unum & simplex non præcedit se ipsum aut consequitur. Et est hic cognitio unius per aliud, cum motu de cognitione in cognitionem, de objecto in objectum, adeoq́; cum dependentia posterioris cognitionis à priori, quæ constituit illationem. At talis dependentia, necessariò plures actus requirit.* Conf. Cl. Weg. in l. 1. prior. q. 1. & Conimbr. 1. pri. c. 1. q. 2. a. 1. *Quot autem actus hic requirantur, dicetur in explicatione definitionis syllogismi.*

7. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est vel* nominalis *vel* realis. Nominalis triplex. 1. Homonymica. Syllogismi *vox variè sumitur.* 1. latissimè, *ut omne instrumẽtũ sciendi comprehendit, etiam methodum,* V. Zabar. l. 3. d.

met. c. 3. *Ita* διάνοια *interdum omnem intellectionem notat, etiam simplicem.* V. Scheibl. l. 2. Meta. c. 4. n. 1 8 9. *Hac significatione utuntur* Ramei, & Keck. noster. l. 3. s. 1. c. 1. Alsted. l. 7. Log. har. c. 1. *Alij tamen eam negant, quod nova & veteribus incognita sit, cum Syllogismus ignotum ex noto colligere debeat, non solum à noto ad ignotum progredi, ut* Ram. & Kek. *volunt.* V. Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 9. q. 1. *Quicquid sit, in verbis faciles esse possumus.* 2. latè *pro omni illatione, quæ non sit methodus. Ita in hac materiâ à quibusdam sumitur.* V. Scheibl. d. syll. c. 1. n. 4. *sic & illationes imperfectæ ut Enthymemata, Inductiones, syllogismi compositi, Syllogismi dici solent. Huc pertinet, cum apud Arithmeticos qualiscunq; computatio Syllogismus dicitur, unde Arithmetica Logistica dicitur.* 3. strictissimè, *vel pro solis præmissis. Sic* 1. post. c. 2. *Dicitur demonstrativum Syllogismum constare ex causis conclusionis: vel pro sola Conclusione, sic* 1. prior. c. 4. 5. 6. *dicitur in inutili modo non fore syllogismum, id est, Conclusionem.* Monlorius *in phrasi Aristotelicâ in 1. An.* ἔσται συλλογισμός, *semper hunc sensum ponit.* V. Dn. Weg. c. I. q. 9. n. 4. 4. strictè *pro aggregato ex præmissis & conclusione perfecto, sub forma & modo aliquo directè contento.* Vt 1. prior. c. 1. &. 2. prior. c. 23. *sic excludit syllogismos imperfectos. Et sic magnam partem hic sumitur.*

8. 2. Etymologica. *Etymologia Syllogismi* Logica *nulla est, est enim vox abstracta, notatq; idem ac ratiocinationem:* Grammatica *est à* συν & λογίζεσθαι, *quod ab Arithmeticis desumptum, notat colligere, subducere, supputare: unde syllogismus q. supputatio aut collectio mentis, unum ex alio educentis. Et Syllog: q.* συλλογή τῶν λόγων, *collectio rationum, dicitur. Plura Dn. Finck: syll. c. 1. p. 12. 21.* 3. Synonymica. *Dicitur etiam ratiocinatio, argumentatio, eductio, discursus, argumentum, dianoia, collectio, supputatio, Tertia mentis operatio, Ra-*

tio

tio educens. *Conf.* Scaliger. ex. 307. f. 2. *Consequentia.* V. Dn. Kesl. d. conf. c. 1. *Græcis,* λόγος, *item* ἐπιχείρημα, *&* λόγος ἐπιχειρηματώδης, *ratio manu invadēs, qua s. aggressio, ut quidam vocarunt, memorante* Quintil. l. 5. c. 10. *& ex eo* Rhen. l. 3. Log. p. 241. *Huc & periphrases pertinent quib. syllog. circumscribi solet. Vt cum Scaligero transmissio mentis inter metas noti & ignoti ap. Barthol. l. 3. p. com. c. 1. instrumentum & finis dialecticæ Caso c. 16. Log. Dialecticorum telum acutissimum E. id c. 17. dicitur & quæ sunt similia.*

9. *Fuit* Nominalis *Cognitio.* Realis *hoc loco triplex esse potest*, definitiva, principiorum, & Attirbutiva.

10. Definitio *hæc sit:* Syllogismus est argumentatio ex positis quibusdam aliud necessitate formæ concludens.

11. Definitio *constat* genere & differentia. Genus *est* argumentatio: *Argumentatio est* dispositio propositionum, ignotum ex noto inferens. *Vnde syllogismus nil aliud, quam dispositio quædam, quâ in re ut generico conceptu convenit cum propositione. Vt dictum* d. 7. t. 16. *Et* argumentatio *nil aliud quā ratiocinativa dispositio: Estquè vox argumentationis adeò lata, ut quamvis ratiocinationē, etiam imperfectam, ut Enthymema, soritem, Inductionem, Syllogismum compositum, compræhendat, Quæ Omnia argumentationes dici possunt: Tota tamen Syllogismi definitio illis non competit, ut post patebit: & sic syllogismi dici non possunt, nisi remotè, virtute; aut latè vocem Syllogismi usurpando. Estq; argumentatio genus analogum ad syllogismos, quibus primò & per se competit, & imperfectas argumentationes, quibus secundò & per alìud, per ipsos syllogismos, in quos redigi possunt.* Conf. Cl. l. M. c. l. q. 2. & d. 3. q. 1. & l. 2. dis. Ram. c. 12. q. 4.

12. *Circa genus syll: assignandum magna alioquin est*

Autho-

Authorum varietas. Ramei *διάνοιαν ſ. diſcurſum ponunt.*
Ram. l. 2. dial. c. 9. &. l. 7. Sch. Log. c. 3. Piſcat. in
h. l. Olevian. l. 2. dial. c. 11. Beurh. l. 2. coll. c. 9.
Snell. l. 2. dial. Log. c. 9. Scheibl. d. ſyllo. c. 1. n. 17.
Conimbr. l. 1. prior. c. 1. q: 2. a. 1. *Aliј diſpoſitionem.*
Keck: c. l. Libavius l. 2. Log: Phil; Ram: p. 540.
Alſted. inſtrumentum dianoëticum. l. 7. Log: harm: c. 1.
Mendoza modum ſciendi. d. 10. Log: ſ: : 9 10. *Ariſtoteles*
λόγον definiit. l. 1. prior: c. 1. & 1. Top: c. 1. *Quam*
vocem alii per Orationem *interpretantur*, Gellicus, Bo-
ëthius, Hildenius, Scherb. Flacius, Hippius, Stenge-
lius, Perionius, &c. Alii *per rationem*, ut Machorius,
Burana, Scheib: Goclenius, Crellius, Finckius, Bar-
tholin. & aliј. V. Dn: Weg: q. 6. l. 1. prior: *Hæ ſenten-*
tentiæ partim conciliari posſunt, partim nimis remotæ ſunt. De
quo adverte ſequentia.

13. 1. Syllogismus *recte definitur argumentatio,*
ratiocinatio, diſcurſus, διάνοια, illatio, Ratio : Nam hæc vo-
cabula hactenus æquipollent, & notant non diſcurſum aut ratio-
cinationem naturalem, quæ non poteſt eſſe genus operis artificio-
ſi, ut benè obiјcit Alſted. c. l. *Sed ipſum* opus *ſeu notionem*
à Logicâ efformatam, diſcurſum naturalem dirigentem. Pro-
ut alias non infrequens eſt, idem nomen ſignificare & rem na-
turalem, & habitum artificialem. Sic ira, audacia, miſericor-
dia ſignificant & affectus naturales, & habitus actibus aquiſi-
tos. V. Scalig: ex 307. ſ. 4. *ſic voluntas ſignificat & rem*
volitam & ipſam volendi actionem. V. Scheib. c. l. n. 24.
Ita ergò diſcurſus, argumentatio, ratiocinatio, ut opus artificio-
ſum notant, quidditativè prædicantur de ſyllogiſmo, qui eſt
tale opus. Et quidem genericè, competunt enim Syllogiſmo &
vocali & mentali, perfecto & imperfecto, ut ſpeciebus ſub gene-
re contentis. Et ſic argumentatio idem omninò eſt cum inſtru-
to Dianoëtico, quod urget Alſted. *Et ſic ejus ſententia quà rem*
planè

planè cũ nostra cõvenit: Nisi quod in hac clariꝰ ponatur vocabulũ unâ voce expressũ(quod, si per voces licet, omninò in definitionibꝰ est præferendũ)& absolutum: Nam syllogismus primò est absolutum quid: secundò relatum transcendens & secundum dici, non esse. Vt benè Cl. l. M. c. l. q. 4. Ita omnia noëmata Logica sunt instrumenta, ratione usus & applicationis: Ita ipsa Logica est instrumentum. Conf: d. 1. t. 17: In ista obscurius, duabus vocibus enuntiatum & relativum. 2. Syllogismus est ens per aggregationem: Ideò non ejus rigidum genus est quærendum. Sufficit si detur vero proximum.

14. 3. Adæquatum Syllogismi universè sumpti genus est λόγος, id est, ratiocinatio: Nam hæc & mentali & vocali syllogismo competit: Et sic explicanda vox Aristotelis λόγος: quæ significatio est apud ipsum Philosophum. l. 1. Top. c. 12. Vt syllogismus in communicatione spectatur, sic & oratio seu vox ad eum requiritur. Et sic λόγος etiam per orationem reddi potest. Non enim repugnat syllogismo, Oratione vel prolatâ vel scriptâ exprimi. Primariò tamen hic ad opus mentale respiciendum. Quod, ut primarium, Naturæ Logices objicitur. Alicujus syllogismi, ut vocalis, genus potest esse Oratio, universi nequaquam, Conf: Cl: l. M. c. Kec: l. 3. s. 1. c. 1. & l. 2. dis: Ram: c. l. q. 4. & c. 3. q. 1.

15. 4. Si dispositio hic intelligatur discursiva dispositio, ut intendit Keck: c. l. V. Zanack. l. 3. s. 1. c. 1. q. 3. benè syllogismus definitur dispositio, estq; nil aliud, quam ratiocinatio. V. t. 11. Et sic qua genericam vocem hanc convenit syllogismuc cum propositione: si Dispositio in genere, nimis remotè definitur. Sic enim actus conclusionem inferens, id est, discursio, seu ratiocinatio, propius genus est, ut benè Barthol: l. 3. p: com: c. 1. Dn: Weg. c. l. q. 6. n: 3. Nec obstat; quod syllogismus sit ens aggregatum, cujus genus partes materiales potius sint quam dispositio: Nam in aggregatis notionalibus non impedit, formam poni pro genere. Sic propositio est

aggre-

aggregatum ex terminis, benè tamen definitur è forma sua, dispositio. V. d. 7. t. 16. *sorites, inductio, sunt aggregata: benè definiuntur à suis formis, argumentationes. Et in accidentiũ definitionib9, quas imitantur Notionalia, usitatissimè forma obtinet locum generis. Sic albedo est color. Paternitas est relatio. Negat id quidem* Sagittar. C. 4. Log: d. 4. t. 2. *cum Rameis: sed à Peripato communiter defenditur.* Conf. Cl. I. M. C. 10. d. 5. q. 1. & d. 2. d. perf. t. 56. 57. Zabar. l. 4. d. meth. c. 14. Corn. Mart: prol: Log. c. 4. 5. Modum ſciendi *syllogismum definire & remotum, & æquivocum est.* Remotum, *Nam omnia noëmata Logica possunt dici modi sciendi, quia ad eum ut instrumenta in usu adhibentur: At hic* de noëmate partis tertiæ *quæritur, cui determinatius genus est assignandum:* Aequivocum, *Nam tota Logica est modus sciendi. Sic Arist. absurdum dicit, quærere scientiam & modum sciendi. Nec rigidè syllogismus est ipse modus sciendi, sed instrumentum ad eum conducens. Et aliàs plura significata habet vox ista.* V. ipſum Mend. c. l. ſ. 1. *Et cum suppetunt propriæ & usitatæ voces, nil opus subrogare in definitionibus æquivocas & inusitatas.*

16. *Fuit* genus *syllogismi: sequitur* differentia. *Ea cæteris verbis definitionibus absolvitur.* Dicitur 1. ex poſitis quibusdam. *Posita* quidam *per* conceſſa *explicant,* ut Boëthius, Gellius, Averroës, Fonſeca. *& alij apud* Cl. I. M. C. 3. d: 4. q: 1. *Quibus consentit* Mend: d: 10. Log: ſ: 10. §: 44. Quidam *per* diſpoſita, *seu præmissa, ut* Regius, Crell. Tartaret. apud eundem c. l. Barth: c. l: c: 1. *Rectius hoc. Nam hic adhuc de syllogismo in merâ formâ agitur, abstractâ adhuc materiâ verâ, quæ concessionem requirat: Et ostenditur hic saltem formæ consequentia, quæ & è falsis præmissis inferri potest, sive ea ut veræ concedantur, sive non: dummodò præmittantur, ex ijs necessariò exsurgit Conclusio. Ostendit hoc Aristoteles* exemplis iſtis A-

bece-

becedariis, *quæ frustrà exagitant* Ramei. V. Cl. I. M. c. l. c. 11. q. 3. *Vt, omne animal est bipes, Omne corpus est animal, E. omne corpus est bipes, si istæ præmissæ præmittantur, necessariò subsequitur per formam conclusio: sive illæ præmissæ concedãtur, siue non. Conf.* Cl. I. M. c. l: *Id verum, non posse nos alium in certâ materiâ redarguere, nisi ex concessis præmissis: sed hæc ratiocinatio, jam ad materiam, de quâ disceptatur, respicit, non in nuda formâ manet, de quâ hic agimus. Si tamẽ concessa* latissimè *sumas, sic idem erit ex concessis, arguere, & præmissis.* Conf: Scheibl. c: I. n. 29.

17. 2. Cum *quædam posita dicuntur, intelliguntur duæ præmissæ: adeoq́; duo actus intellectus præcedentes, abjuncti adhuc: Qui junguntur à Tertio, qui conclusio dicitur: Debent ergò in syllogismo perfecto, de quo hic agimus, plures esse actus quã Vnus: nam si una præmissa esset, non est consequentia formalis, nec sufficens ad legitimam illationem.* 3. Isti *tres actus,* vel *possunt successivè elici, quando antecedens nondum satis est notum, quomodo sit causa conclusionis, Tum enim suspendi potest actus illationis:* vel *in instanti, cum satis penetratæ sunt præmissæ: Hic quia conclusio pendet à præmissis causaliter, potest in eodem instanti cum illis cognosci, cum non semper inter causam & effectum necessariò prioritas temporis requiratur: Nec motus, qui hic in discursu est, sit propriè dictus, sed analogus, cui nil obstat, esse instantaneo, ut in mutationibus instantaneis, ut illuminatio, appræhensio judicativa, patet.* Conf. Dn. Weg. c. I. q: 2.

18. Dicitur 2. aliud quid sequitur. *Per* aliud *hic intelligitur ipsa Conclusio seu illatio, quæ est actus inferens tertium ex duobus actibus positis seu præmissis. De ea nota:* 1. Conclusio *non tantum est successio quædam actus, quæ discursum perficiat, sed & illatio ex præmissis facta: Non est solum* ex præmissis & post eas, *quomodo re unâ cognitâ progredimur ad aliam,* sed & propter præmissas, id est, *habet de-*

pendentiam suam ex præmissis, non quà nudam existentiam, qualis & in primâ & secundâ mentis operatione est: sed inprimis quà causalitatem & illationem non causalitate Physicâ, sed Logicâ & determinativâ: Nam hic cognoscitur alterum ob positionem antecedentis, ut causam: Nam præmissæ sunt velut causæ determinantes intellectum ad eliciendam conclusionem: Et in hac consequentia & assensu illativo, quo posteriori assentimur propter prius, quod positum est, consistit essentia discursus. V. Dn. Weg. c. l. q: 3. 2. Actus ille illativus, quà iudicat componendo aliquid vel dividendo, est propositio & ad secundam operationem pertinet: Quà judicat aliquid cum dependentia causali ex alio ex quo ut causâ consequitur, est ipsa Conclusio, ratiocinatio, & ipsa syllogisatio, & ad operationem tertiam pertinet. 3. Illatio passivè sumpta, id est, actus unus illatus ex altero, est ipsa consequentia syllogistica: activè sumpta, id est, actus inferens unum ex alio, est operatio mentis ratiocinantis, cujus opus dicitur Syllogismus. Dn. Weg: c. l. Conf. t. 13.

19. 4. Conclusio est aliud à præmissis actualibus, id est, non est talis propositio, qualis aliqua præmissa: Sed non à virtute præmissarum: Nam in illa latebat Conclusio, & ex virtute & vi illarum educitur. Et hoc vult Philosophus, verbis, eò quod hæc sunt. Conf. t. 18. Conclusio quâ dispositionẽ aliud est à præmissis: non quà extrema, quæ plura inferre non potest, quàm à præmissis sunt præassumpta. Scheib. c. l. n. 28. Et sic ex parte objecti non potest conclusio realiter differre, ab præmissis objectivis: Nam alicui in præmissâ posito oportet idẽtificari, oportet enim eadem esse uni tertio, quæ inter se eadem esse probari debent, Vt habet Canon consequentiæ syllogisticæ. Secus nihil probabitur. Vt benè Mend: c. l: n. 43. Rationis ergo discrimen hic sufficit. 5. Intellectus assentiens præmissis necesariò assentit Conclusioni & quà speciem actus, & quà exercitium: Nec potest ejus assensus impediri à voluntate

directè

directè, *inhibendo istum aßensũ: Sed* indirectè, *id est, vel divertendo ipsũ in aliud objectũ à præmissis, vel nimiũ alteri objecto affigendo, vel nõ satis accuraè in præmissas defigẽdo, ut illis plenè assẽtiatur. Nã intellectꝰ est actꝰ necessarius, nõ formaliter liber, ut volũtas. Nõ ergò potest actũ suũ circa verũ particulare suspẽdere, ut voluntas suum circa bonũ particulare. Nec subditur volũtatio circa objectũ* evidẽs, *ubi necessariò assẽtitur, sed* obscurũ, *ubi nõ evidentẽ habet cognitionẽ.* V. Dn. Weg. c. l. q. 7. *Voluntas suum actum inhibere potest etiam contra intellectũ, & in eo maximè voluntatis libertas consistit, ut contra Bellarm: benè probant* Dn: Meisn. d. 21. Antro: q. 7. & p. 3. P. S. s. 1. c: 1. q. 6. Becan. p. 2. T. 1. Th. Sch. tr. 1. c. 2. q. 5. *Et in peccantibus in spiritum Sanctum manifestissimè patet.* V. Dn. D. Feurb. d. pecc. in. sp. s. c. 14. *Intellectus, cognitis præmissis, & benè perpetratis terminis, minimè.*

20. 6. Consequentia *concretè sumpta, est ipse syllogismꝰ, & est sic idem ac ratio consequens: abstractè sumpta est velut comes & immediatum consequens formæ seu Dispositionis syllogisticæ, id est, virtus quædam ex legitimâ dispositione syllogismi existens.* Conf. Libau. dial. Phi. Ram. p. 544. Dn. K sl. d. conf. c. 23. §. 6. *Eadem consequentia per medium illativa est solius Syllogismi propria: qualitercunq; eductiva potest etiam in propositionibus esse. Sic in consecutione, Conversione.* Conf. Kesl. c. l: c. 7. Scheib. c. l. n. 30. 35. 7. Conclusio *non est pars syllogismi partialiter pro præmissis sumpti, sed effectus: Et ita benè* Cl. J. Mart: Niphus, Lemovius, Pacius, Masius, Arniseus, Monlorius *aliiq; : Syllogismi totaliter, ut discursus est, sumpti omninò pars est non solum materialis & extrinseca, ut* Masius *vult, sed essentialis & intrinseca: Ponitur enim in definitione syllogismi.* V. t. 18. *Et pertinet formaliter ad tertiam operationem Logicam* V. c. l. *Et sic effectus cum suis causis totum aliquod aggregatum constituere possunt. Sic liberi cum parentib. familiam do-*

mesticam. V. Zanack. l. 3. Logi· ∫. 1. c. 1. q. 4. Conf. amplius Dn. Weg. q. 9: c. l. Goclen. p. 4. prob. q. 11. 12. Kec. nostrum. l. 3. ∫. 1. c. 1. Mendoz. d. 10. Log. ∫. 12. Scheib. c. l. n. 54. 55. Hipp. q. 28. Log. *Finc. d. ∫yl. c. 2. q. 3. Quidam formam ∫yllogismi vocant. Hoc analogicè concedi poteſt.* V. Sch. c. l. n. 57. 58.

21. *Dicitur* 3. neceſſitate formæ. *Nota. 1.* Necessitas *alia eſt materiæ, ſeu conſequentis & connexionis, quæ à terminis necesſariò connexis pendet, quæ in Apodictico ſyllogisſimo requiritur: alia formæ, ſeu conſequentiæ & illationis, quæ ex ipſa Diſpoſitione præmisſarum pendet. Hæc hic intelligitur.* Conf: Dn: Kesl. c. l. c. 23. Mendoz. d. 10. Log. §. 45. *Et hæc neceſſariò in Logicis ponenda eſt, ut benè* c. Ramees Cl. I. M. c. l. c. 9. q. 2. probat. *Et hanc Ariſtoteles innuit verbis,* eō quod hæc ſunt: *id eſt, Concluſio ex poſitis præmisſis neceſſariò infertur, vi diſpoſitionis.* 2. Necesſitas *alia eſt abſoluta, cum termini ſunt entia necesſaria, non dependentia à noſtrâ operatione, ut cœlum Corpus, homo animal: alia hypothetica, cum termini abſolute ſunt entia contingentia, ut Temperantia, Virtus: Vtraq; necesſitas hic locum habere poteſt in formâ ſic: Homo eſt animal. Petrus eſt homo. E. Temperantia eſt virtus. Hæc actio eſt temperantia. E. Hic nuda illatio ex præmisſis ſpectatur: In demonſtatione Terminorum propria connexio accuratius expenditur.* 3. Definitio *primò competit ſyllogismo ſimplici: ſecundò compoſito, per ſimplicem, in quem reſolvi poteſt.*

22. *Fuit* Definitio *Syllogismi: Ex eâ explicatâ plura patent, quæ hic moveri ſolent. Vt.* 1. An Deo conveniat ſyllogismus? *Negat* Scal. ex 307. ſ. 8. Auguſt. l. 15. d: Trin. c. 14. *Et rectè. Nam ſyllogismus eſt illatio ignotioris ex notiori, pluribus actibus ſuccesſivis perfecta.* V. t. 18. *At nec Deo ignotum aliquid, nec ſuccesſio actuum in eo, in quo omnia ſunt* ἐν τῷ νῷ. Con. Schei: n. 3. 2. An Angelis ?

Omni-

Omninò. Non enim illi omnia norunt, & successivè ab uno actu ad alterum progredi possunt. Dissentit Tolet. in 1. post. c. 1. q. 1. Thom: p. 1. q. 58. a. 3. *In ijs, quæ ipsis nota sunt naturaliter & insita, vel à Deo per species infusa, non utuntur discursu: In illis quæ vel ipsis non nota, vel non ita distinctè nota, quæ notitiâ revelatâ & exprimemtali cognoscunt, benè discursum adhibent.* Conf. Alsted. Enc. l. 6. p. 2. c. 3. §. 8. & p. 3. c. 2. §. 5. Scheib. l. 2. Meta. c. 4. n. 193. *Plura in Pneumaticis de hoc 3. An brutis? Ajunt* Plutarchus, Valla, Valesius, *& alij. Malè. Nam syllogimus est opus rationis. At in brutis ratio non: Nam hæc particula imaginis divinæ in articulo creationis considerata: Quæ in brutis absurdè collocabitur. Conf.* Keck. d. 18. Phil. q. 1. Alsted. Encyclop: l. 7. p. 6. c. 3. §: 3. Scheib. c. l. c. 8. n: 69. & de Syll. c. 1. n. 43.

23. *Hactenus* definitio *Syllogismi: sequuntur* principia. Principia *Syllogismi sunt*, ex quibus formatur ille vel reformatur. id est, *Quæ dant esse syllogismo, vel evidentiam obscuro conciliant. Ea* quadruplicia *sunt*: Materialia, formalia, Directiva, & perfectiva. Materialia *sunt, quæ velut materiam syllogismi analogicam præbent. Suntq; vel remota, ut Termini, vel propinqua ut propositiones.*

24. *De ambignitate vocis Termini,* Vid. d. 2. t. 11. *Hic sunt extrema, in quæ syllogismus ultimò resolvitur. Appellationis rationem Vide* apud Dn. Scheib. n. 67. *suntq; tria*: Major, *prædicatum Conclusionis*, Minor, *subjectum*, & Medius, *qui rationem utriusq; dat. Unde agnoscantur hi Termini, Vide apud* Hipp. q. 27. Log. *Hi tres Termini sufficiunt in Syllogismo perfecto: Nam duo Termini convenire vel dissentire ostendi possunt sufficienter, interventu tertij ut medij.* V. Scheib. n. 71. *In* conglobato, *qualis sorites*, falso, *qualis ineptus, &* Cryptico, *qui potestate duplex est, plures termini esse possunt, In* anolagismo *quatuor sunt Termini*

mini comparaionis, sed tres illationis, nam similitudo duobus terminis comprehensa pro uno Termino illativo sumitur. Conf. Sch. c. l. n. 80. *Ramei Terminos vocant argumenta, & Terminum Medium argumentum tertium. Malè. Argumenta enim* vel *sunt rationes probantes,* vel *sunt maximæ quædam, ex quibus rationes desumi possuut, & sunt integræ propositiones. Et medius Terminus non est argumentum, nam hoc tota ratio & dispositio probans est, ipsum corpus Orationis, ut loquitur* Scalig. l. 3. Poët. c. 70. V. Cl. I. M. disc. l. 1. c. 2. q. 11. *Sed est materia & medium, cujus beneficio argumentatio coalescit. Disponitur enim hic cum extremis quæstionis, ut fiat argumentum. Vt benè* Cl. I. M. c. l. q. 12. *Vnde & medij nomen apte obtinuit.* V. Schei. n. 70. *Ipsi tres termini in præmissis juncti & copulati, ut una copulativa sunt argumentum probans & inferens Conclusionem.*

25. Principia propinqua *sunt* tres propositiones, Major, Minor & Conclusio. *Propositionis vox hic sumitur* vel latè, *prout definitia est* d. 7. t. 15. *Sic omnes tres dicuntur propositiones:* vel strictè *ut præmissas, sic major & minor sunt propositiones: & sic rectè Zabar.* ad 1. post. t. 13. *negat Conclusionem dicendam propositionem: Non enim præponitur Conclusioni:* vel strictissimè, *ut solam primam præmissam notat, Et sic sola major dicitur propositio, minor assumptio. Hæc usurpatio* Rameis *est usitata. Propositiones ad Syllogismum tres requiruntur ad ostendēdā consequentiæ evidentiam. In imperfectâ argumentatione vel plures vel pauciores esse possunt. Sic in Enthymemate, Sorite. &c. Et sunt* vel simplices, *unde Syllogismus simplex,* vel compositæ, *unde Syllogismus compositus exsurgit. Appellationis rationem, cur aliqua dicatur major, alia minor, vide* apud Mendoz. pia l. s. 2. §. 50.

26. Formalia princia syllogismi *sunt dispositiones*

figuris

figuris & modis formalibus comprehensa. Hæc principia primò & directè insunt Syllogismo simplici : secundò, indirectè & virtute composito, quatenus in simplices resolvi potest: Figura est Dispositio certa medij Termini, perfectam illationem suppeditans. Modus est Determinatio propositionum cujusque figuræ, dispositionem verā dirigens.

27. *De figuris* tria *videnda*, Numerus, ordo, & attributa. *De numero quæritur:* An tres figuræ sufficiant? *Hic in excessu & defectu peccatur. In* excesssu à Galeno, *qui quartam adjecit, quæ ab ipso dicitur Galenica, Et defenditur ab* Vrsino & Flacio apud Scheib. c. l. c. 5. n. 19. *Malè. Nam illa dispositio non respondet naturali discursui, qui ita non procedit. E. est præternaturalis. E. à Logicâ proponi nō debet, quæ naturæ convenientem discursum perficere debet, non præternaturalem. Non experimur, nos naturaliter ita ratiocinātes, Petrus est homo, & homo est animal. E. & Petrus est animal. Et inde hi Syllogismi sunt inutiles, id est, nō sunt in usu: Etsi non sint præcisè inutiles, id est, planè nullū usum habeāt: Nam ad indirectas & præternaturales argumentationes ostendendas sunt utiles.* V. Zabar. l. d. qu. fig. Cl. I. M. C. 3. d. 8. q. 1. Hipp. q: 33. Log. Mendoz. d. 10. Log. s. 20. Scheib. c. l.

28. *In* defectu *peccat* Valla l. 3. dial. c. 2. & 9. apud Scheib. c. l. n. 2. *Alij apud* Hipp. q. 32. *Log. qui tertiam figuram rejiciunt. Malè. Est enim in hac naturalis illatio. Vt si dicas, Aliquis homo raptus est in cælum. Nam Elias eò raptus est: Hic discursus implicatur, qui commodissimè & directè in tertiâ figurâ formatur. Neq; repugnat naturali discursui talis illatio, ut* Valla *vult, sed maximè ei conformis est. Nec ulla est ratio, ex quâ repugnet.* Conf. Scheib: c. l. *Nec satis est, in prima figura eum disponi posse. Nam evidentior est ista materia in tertiâ figurâ, quando naturalia subjecta subjiciuntur, prædicata prædicantur, quam in primâ erit, ubi inversio*

 corum

eorum sequitur. Quicquid sit de forma dispositiva, quæ semper in 1. figura est manifestissima. Conf. eundem c. l. n. 16.

29. *De ordine quæritur :* An prima jure primum locum obtineat? *Negant Ramei & tertiam primam faciunt. Quod sit simplicissima, facilima, artificiosissima. Falsa hæc: Quod est evidentissimum, notissimum, & discursui naturali similimũ, id hic primum esse debet. Nam à notioribus hic progrediendum. Tale quid est figura prima, quæ naturali discursui apertissimè respondet, non secunda, non tertia, quæ sunt obscuriores : quicquid sit de* simplicitate, *quæ in 3. fig: putatur major: aut* artificiositate, *quæ primum ordinem hic ponere non potest: aut* facilitate, *quæ supra primam figuram in nullâ est.* Co. Cl. l. M. c. l. q. 2. & C. 8. d. 4. q. 1. & l. 2. disc. c. 10. q. 4.

30. *De* attributis *figurarum quæruntur aliqua? 1.* An modi figurarũ Barbaris vocabulis enuntiandi? *Negant* Ramei; *quod sint barbara, obscuros Syllogismos faciant, observatu difficillima sint, & aliis commodioribus vocibus exprimi possint. Retinent* Aristotelei, *quod sint utilissima, Syllogisticam dispositionem manifestissimè determinẽt, & facilimam argumentandi rationem proponant. Quod barbara sint id in technicis vocibus parum curatur. Cætera quæ Ramei proponunt, sunt falsa.* V. Cl. M. c. l. q. 4. Scheib. n. 33. *2.* An modi indirecti addendi figuris? *Quidam addunt : Sed parum opus: Cum naturali discursui contraveniant, adeoq; præternaturaliter inferant. De iis* conf. Mend. l. 17. d. 10. Scheib. c. 6. n. 11. 12. 3. An tertia figura rectè dicatur contracta, *quod semper contractâ formâ reperiatur in authoribus? Ajunt Ramei quidam : Alii id negant, & exempla in contrariũ adducunt.* Gocl. p. 4. q. 15. *Sive inveniatur sive non apud Oratores, non statim appellationem Syllogismo dare debet. Non enim Logices norma est Oratorum Usurpatio, sed recta ratio & accurata discursio.* Vt benè Cl. l. M. c. l. q. 3. & d. 3. probl. q. 1.

31. 4. Cur in 1. figura ex majore *particulari, minore negante formaliter nil sequatur? Cur ex majore particulari & omnibus præmissis affirmatis in 2. figura nihil? Cur ex minore negante & conclusione universali in tertiâ figurâ nihil? Cur in secundâ medium bis prædicetur, in Tertiâ bis subjiciatur? Causas horum reddit* Cl. I. M. C. 4. d. 2. q: 1. 2. d. 3. q: 1. C. 8. d. 5. q: 2. d. 6. q. 1. 2. d. 7. q. 1. *Hic ob chartarum angustiam deduci omnia nequeunt.*

32. *Fuerunt* Principia formalia : *Sequuntur* Directiva, *quæ duo sunt :* Dici de omni & dici de nullo : *Illud affirmantium, hoc negantium Syllogismorum. Hæc principia quanam in re consistant disquirunt Logici?* Ramus *in totum reijcit & nugatoria vocat.* l. 7. Sch. Log: c. 3 *At naturalis intellectus iis assentitur. Conf.* Dn. Fin. d. Syll. c. 4. q. 5. Cl. I. M. l. 2. disc: c. 9. q 3. Alij *propositiones Universales affirmantes & negantes esse volunt apud* Zabarel: l. d: 4. fig: c. 6. Reg: l. 3. Log: pro: 5. *At propositio universalis & particularis est in parte secundâ Logices, ubi nondum est principium directivum processus syllogistici, quod hic esse debet.* Alij *ipsum processum Syllogisticum esse putant.* Zabar: 1. l. Finc: d. syll: c: 4. Can: 2. Averr: apud Reg: c: l. Co: Mart: l. 3. p: com: c: 2. *Propriè* principium *processus Syllogistici est, ostendens, quo fundamento syllogismi vis illativa nitatur: Ipse syllogismus est virtute & potestate tantum, quia ex eo, velut radice educi potest. Adeoq́ dictum de omni est prīcipium ostendens vim illativam syllogismi affirmativi: Dictum de nullo negativi.*

33. *De his principiis nota :* 1. Hæc *principia primò cōpetunt Syllogismis simplicibus, secundò compositis, & imperfectis, quà in simplices & perfectos resolvuntur, planè non singularibus & expositoriis. Hi enim hic non compræhenduntur.* V: Scheib. n. 21. 2. Principia *hæc manifestè & evidentissimè*

 compe-

competunt figuræ primæ, in quâ apertissimè ostendi possunt: minus manifestè & reductivè secundæ & tertiæ, quatenus ad primam figuram reduci possunt. V. Zab. Dn. Finck. & Reg. c. l. 3. Principia *hæc Logica nituntur his Methaphysicis, Quæ sũt eadem Vni Tertio, inter se sunt eadem, & quæ non sunt eadem Vni Tertio, nec inter se sunt eadem. Quæ Albertus M. pro dici de Omni & Nullo substituit, apud* Reg. c. l. *Etsi aliàs tertiæ figuræ attribui soleant. Et facilè patet: Nam ideò aliquid contentũ sub superiori prædicatum illius admittit, quia est idem illi, seu identitatem cum eo habet, & contrà. Et hæc principia nituntur illis generalibus: Impossibile est idem esse & non esse. Quodlibet est aut non est. Nisi, quod dici de omni & N. magis ad Logicam accõmodatè exprimũtur: hæc magis ad Metaphysicam. De his pluribus* Conf. Mendoz. d. Log. 10. f. 16.

24. Fuerũt principia Directiva: *sequũtur* perfectiva, *quæ* manifestãdæ Syllogismi cõsequẽtiæ inserviũt *sũtq́ duo:* Reductio & Expositio. Reductio est cõsequentiæ syllogismorũ 2. & 3. fig. per primã manifestatio. *Negatur à Rameis, Ramo, Beurhu. &c. sed utilis est in Logicâ, eoq́ servãda.* V. Cl. I. M. c. l. c. II. q. 2. Dn. Finc. d. syll. c. 7. §. 2. Dn. Schei. c. l. c. 9. n. 1. Expositio *est syllogismi 3. figuræ per medium singulare illustratio. De eâ* Scharf l. 3. c. 6.

35. *Fuit* tractatio Principiorũ *syllogismi: Sequitur* attributiva, *quâ generalia quædã syllogismi attributa explicantur. Talia sunt: Ex puris particularibus formaliter nihil sequitur. Partibus ex puris sequitur nihil atq́ negatis. Lex generalis erit, medium concludere nescit. Non plures aut pauciores Termini tribus. Termini identicè sumantur quà sensum in Syllogismo, id est, non mutentur, augeantur, minuantur, implicentur, contrarientur. &c. Servetur idem genus prædicationis: Non procedatur à non distributo ad distributum, & quæ similia sunt, quæ fusè explicant* Dn. Finc. c. l. c. 2. §. 12. 13. Scheib. c. 2. d. syll. Scharf. l. 3. Log. c. 1. Barthol. l. 3. p. cõ. c. 4.